

CAPUT VII.

DE CANONICIS.

§ 1. *De nomine canonici.*

Canonici (1) antiquissimo nomine dicebantur clerici, et multis etiam sæculis dicti fuerunt fratres, quæ nomenclatura non modo in regula divi Augustini legitur, sed passim obvia est in multarum ecclesiarum erectionibus, dotationibus, privilegiis et constitutionibus, et cujus monumentum reperitur apud ecclesiam nostram Metropolitanam Mechliniensem in quadam fundatione dicta sexaginta fratrum.

Hoc autem tempore communiter nominantur canonici, et quidem juxta plures (2) a canone seu matricula ecclesiæ, cui inscripti erant ob jus percipiendi ex illa ecclesia oblationes et stipendia. Certum autem est juxta Molanum (3) eos dictos esse canonicos, non ab hujusmodi canone, sed a regula et vita canonica. Canonici nomen idem est ac regularis; venit enim a voce græca *Canon*, quæ regulam significat: ita ut canonicus idem sit ac regularis, hoc est, secundum canonem seu regulam vivens. Canonicus nomen est officii, operis, militiæ clericalis, non autem reddituum, præbendarum aut elementorum, quæ postea accesserunt (4). Unde ad hæc usque tempora canonicatus a præbenda distinguitur, et dantur canonici, qui præbendam non possident.

Meminerint itaque canonici, ait Molanus (5), se a canonicis et regulæ atque recti observatione canonicos dici, aut ad paulo exactius loquendum, canonicos dici a professione canonicæ et regularis ac bonæ vitæ. Respondeat eorum vita titulo, respondeat nomini, sint reipsa, ut sunt nomine canonici, id est regulares.

(1) Molanus de canonicis lib. 1, cap. 2 et 3.

(2) Zallinger lib. III Decretal. § 135; Lucius Ferraris *Canonicus* art. 1, n. 11.

(3) Loco cit. cap. V.

(4) Molanus loco cit. cap. V.

(5) Loco cit. cap. IV.

§ 2. *De qualitatibus requisitis in canonicis ecclesiæ cathedralis.*

Concilium Tridentinum sess. 24, de reformat, c. 12, præscribit: « Quum dignitates, in ecclesiis præsertim cathedralibus, » ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ: ut, qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliis- » que exemplo essent, atque Episcopos opera et officio juvarent; » merito, qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri » respondere possint. » Barbosa (1) hoc generaliter applicat, et juxta ipsum sollicitè cupiens concilium providere dignitatibus, canonicatibus, et beneficiis ecclesiasticis cathedralium, ut qui illa obtinent, possint aliis bono exemplo esse, ac virtutibus præluere, voluit personas esse tales, quæ possent suo muneri respondere.

Qualitates requisitæ sunt legitimitas natalium, ætas, ordo sacer, scientia competens, cantus peritia, morum honestas. Circa has qualitates notandum est, quod statuit Concilium Trid. sess. 22, cap. 4 de reform. « Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui jam ætatem et ceteras habilitates integre habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio. » De his agatur in sequentibus.

Antequam aliquis ad canonicatum admittatur, non tantum collator, sed etiam capitulum jus habet examinandi et inquirendi, an ipse polleat qualitatibus, quæ sive de jure, sive ex particularibus statutis aut consuetudinibus requiruntur (2).

§ 3. *De legitimitate.*

Legitimi esse debent canonici ecclesiæ cathedralis, siquidem illegitimi nullum beneficium sine dispensatione obtinere possunt. Cum autem canonici ecclesiæ cathedralis in majoribus ordinibus constituti esse debeant, ut infra dicetur; Episcopus super hac illegitimitate dispensare nequit, quia cum promovendo ad majores ordines dispensare non potest (3).

(1) De canonicis cap. 13, n. 1.

(2) Louvrex dissert. 2, n. 8 et 50; Barbosa de canonicis cap. 13, n. 7 et 8; Scarfantonus lib. 4, tit. IX, n. 3, 10, 19.

(3) Barbosa de canonicis cap. XIII, n. 24-26; Louvrex dissert. II, n. 26-29.

§ 4. De ætate.

I. Præmittitur textus concilii Tridentini sess. 24, cap. 12 de reformat.

Nemo deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem XXV suæ ætatis annum attigerit...

Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei, et XXII annis non minores, adsciscantur...

Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum, aut portionem recipiant nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, ut infra tempus a jure et ab hac sancta synodo statutum initiari valeat. In omnibus vero ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus vel subdiaconatus... Ubi consuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes sint presbyteri, omnino observetur.

Prænotandum est, provisionem seu collationem factam ante ætatem requisitam, esse nullam, etiam in conscientia, quantumvis modicum desit tempus ut unius diei vel horæ (1). 2º Ætatem numerandam esse, non a die conceptionis aut baptismi, sed a die nativitatis (2).

II. Ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, seu quibus principaliter annexa est cura animarum, requiruntur viginti quinque anni. Sufficit autem annus vigesimus quintus inceptus, ut liquet ex verbo *attigerit*, quo utitur Concilium Tridentinum (3).

Ad dignitates autem, quibus accessorie et minus principaliter annexa est cura animarum, sufficiunt viginti duo anni, ac si esset simplex dignitas, quia hujusmodi dignitates dicuntur tantum habitalem curam habere, et ipsa cura animarum exercetur per vicarium perpetuum (4).

(1) Conc. Trid. sess. 22, cap. 4 de reform.; Garcias de beneficiis p. 7, cap. 4, n. 82-84; Scarfantonus lib. 4, tit. 8, animadv. 22-24; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. 3, n. 15.

(2) Garcias ibidem n. 89; Scarfantonus ibidem n. 25; Louvrex dissert. 2, n. 18.

(3) Garcias ibidem n. 41; Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, c. 20.

(4) Scarfantonus lib. 4, tit. 8, n. 8-10; Lucius Ferraris *ætas* n. 19.

III. Ad cæteras dignitates vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, requiruntur anni viginti duo. Intelliguntur autem viginti duo anni completi, quia Concilium Tridentinum assumendos præscribit clericos XXII annis non minores, et qui vigesimum secundum annum nondum compleverunt, XXII annis sunt minores (1). Episcopus etiam cum iis qui, viginti duos annos nondum compleverunt, dispensare non potest (2).

IV. Ad canonicatus et portiones ecclesiæ cathedralis, ubi ab Episcopo facta est ordinum distributio, requiritur illa ætas, quam exigit ordo canonicatus, id est ad canonicatum subdiaconalem ætas 21 annorum, diaconalem ætas 22 annorum, et sacerdotalem ætas 24 annorum, ubique completorum. Cum autem satis sit, ut infra tempus statutum seu infra annum initiari valeant, sufficiunt quoque viginti anni completi pro canonicatu subdiaconali, viginti unus completi pro diaconali, et viginti tres completi pro sacerdotali (3). Notandum autem est, ætatem quatuordecim annorum sufficere, ad obtinendam dimidiam portionem in ecclesia cathedrali, quia Concilium Tridentinum loquitur de portionibus, et ejus verba ad dimidias portiones extendi non debent (4). Item notandum 2º, annum statutum ad ordinem suscipiendum, computari debere, non a tempore collationis factæ, sed a die habitæ pacificæ possessionis, dummodo per provisum non steterit, quominus antea possessionem perceperit (5).

V. Pro canonicatibus autem et portionibus ecclesiæ cathedralis, ubi nulla facta est ordinum distributio, juxta Fagnanum (6) servandum est quoad ætatem jus vetus vigens ante Concilium Tridentinum, quia Concilium distributionem ordinum quidem præscripsit, eam autem non fecit, sed Episcopo cum consilio capituli commisit; ita ut, priusquam Episcopus designationem faciat, dici nequeat, huic vel isti canonicatui ordinem sacrum esse annexum: nisi aliunde ex privilegio, consuetudine vel statuto annexus sit,

(1) S. C. C. 4 Sept. 1591, *Nullius* apud Zamboni *ætas* n. 1; Barbosa de canonicis cap. 13, n. 22; Scarfantonus lib. 4, tit. 8, n. 1 et 2; Schmitz tom. 1, tit. 14, q. 1, R. 2.

(2) Garcias de beneficiis p. 7, cap. 4, n. 54-57; Lucius Ferraris *ætas* n. 21, contra Zallinger lib. 1, Decretal. tit. 14, § 427.

(3) Garcias loco cit. n. 15-27; Barbosa loco cit. n. 9 et 10; Lucius Ferraris *ætas* n. 22; Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, c. 20, 3.

(4) Garcias ibidem n. 40; Barbosa n. 16; Lucius Ferraris *ætas* n. 16.

(5) Lucius Ferraris *Canonicatus* art. III, n. 16; Scarfantonus lib. 4, tit. 7, n. 39.

(6) In 2 p. 1, Decretal. de Elect. cap. *Cum in cunctis* n. 71.

quia tunc oportet, provisum in ea ætate constitutum esse, qualem requirit ordo canonicatus annexus. Juxta alios autem requiritur ætas requisita ad subdiaconatum seu vigesimus secundus annus inceptus, vel ea saltem ætas, ut quis intra annum ad subdiaconatum promoveri possit, ut supra dictum est : quia cum juxta Concilium Tridentinum omnes canonicatus et portiones ordinem sacrum annexum habeant, requiritur saltem subdiaconatus vel ætas ad hunc ordinem requisita (1).

VI. Ubi est consuetudo, ut omnes canonicatus sint presbyterales, cum talis consuetudo a Concilio Tridentino tanquam laudabilior declaretur servanda, requiritur ætas ad presbyteratum requisita, sive ut quis in ea sit ætate, ut intra annum ad presbyteratum promoveri valeat (2).

Similiter si cura animarum a capitulo per turnum exerceatur, aut onus cantandi missam conventualem omnibus dignitatibus et canonicis per turnum distributum sit; cum in his casibus onus sacerdotale annexum sit, quod quilibet per seipsum adimplere tenetur, requiritur etiam ætas ad presbyteratum requisita (3).

VII. In canonico pœnitentiario requiritur ætas quadraginta annorum; sed de ea latius proprio loco dicitur (4).

In coadjutoribus dignitatum et canonicorum eadem ætas exigitur, ac in coadjutis (5).

Canonici supranumerarii possunt recipi in anno decimo quarto, sed adveniente tempore præbendæ in ætate integra esse debent (6).

§ 5. De ordine sacro.

I. Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 12 de reformat. statuit : « In omnibus ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac

(1) Pallottini *Canonicatus* § 1, n. 1 et seq.; Garcias loco cit. n. 28-31; Barbosa loco cit. n. 10; Lucius Ferraris *ætas* n. 23; Schmitz lib. 1, Decretal. tit. 14, q. 1, R. 2.

(2) Garcias loco cit. n. 72 et 73; Scarfantonus lib. 4, tit. 8, animadv. 19; Bouix loco cit. 5^o.

(3) Scarfantonus loco cit. n. 18 et 20; Lucius Ferraris *ætas* n. 18; Bouix loco cit. ad 6.

(4) Garcias loco cit. n. 32-35; Schmitz loco cit. R. 3.

(5) Garcias loco cit. n. 90; Scarfantonus lib. 4, tit. 8, n. 7.

(6) S. C. C. 13 Mart. 1603, in *Vanafren*. Barbosa de canonicis c. 13, n. 13; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. III, n. 12.

» portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus, vel
» subdiaconatus. Episcopus autem cum consilio capituli designet ac
» distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris
» annexus in posterum esse debeat; ita tamen, ut dimidia saltem
» pars presbyteri sint, ceteri vero diaconi, aut subdiaconi : ubi vero
» consuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes sint pres-
» byteri, omnino observetur. »

Notandum : 1^o hanc ordinum designationem et distributionem fieri potuisse non tantum post Concilium Tridentinum, sed quamdiu facta non fuerit, eandem adhuc fieri posse, nisi consuetudo advenit, ut omnes canonici sint presbyteri (1).

2^o Episcopum in ordinum distributione solummodo teneri adhibere consilium capituli, et non consensum (2).

3^o Concilium dignitatum mentionem non facere; unde S. Congregatio Concilii (3) respondit, Episcopum non teneri designare nec distribuere singulis dignitatibus ecclesiæ cathedralis ordinem sacrum, cum Concilium de hujusmodi dignitatibus non loquatur. Existere igitur possunt dignitates, quæ ordines sacros non receperunt, nisi canonicatus dignitati annexus sit, vel nisi ordo sacer in dignitate ex officio pro cura animarum, vel ex consuetudine aut ex statuto requiratur (4).

4^o Sacerdotem non impediri, quin canonicatum diaconalem vel subdiaconalem obtinere et retinere valeat (5).

II. Effectus distributionis ordinum sunt, quod in choro, processionibus et similibus canonici locum occupent juxta ordinem sacrum, qui eorum canonicatus annexus est; quod habentes canonicatus diaconales et subdiaconales, non tantum Episcopo, sed et dignitatibus, et etiam canonicis solemniter celebrantibus, in officio diaconi et subdiaconi assistere teneantur (6).

III. « Qui dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones, » ac quælibet alia beneficia... obtinent, aut in posterum obtine-
» bunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, ut alii missas,
» alii evangelium, alii epistolas dicant, seu cantent; quocumque

(1) S. C. C. 31 Maji 1704 *Grossetana*, *Canonicatum* apud Zamboni *Canonicatus* § 1, n. 2.

(2) Barbosa de canonicis cap. 42, n. 20; Pallottini *Canonicis* § VI, n. 39.

(3) 19 Decemb. 1648 in *Arbenst*.

(4) Bouix de capitulis p. 1, sect. 2 cap. 20, 7.

(5) Barbosa de canonicis cap. 16, n. 4.

(6) Vid. Praxis pontificalis tom. 1, n. 60, 65, 66, 67 et 103.

» ii privilegio, exemptione, prærogativa, generis nobilitate sint
 » insigniti, teneantur, justo impedimento cessante, infra annum
 » ordines suscipere requisitos » (1). Quamdiu in subdiaconatus or-
 dine saltem constituti non sunt, vocem in capitulo non habent, ut
 dicitur cap. XXXII, § 18 n. V. collegiales tamen actus ad ea omnia,
 quæ extra capitulum fiunt, exercere possunt (2).

IV. Durante anno, infra quem ordinem suscipere tenentur, vel
 tempore, pro quo a Sede Apostolica dispensati sunt, licet hebdo-
 madam suam facere non possint, lucrantur fructus præbendæ, et
 etiam distributiones, si horis interfuerint (3).

V. Canonicus, qui ad sacrum ordinem canonicatus, dignitati aut
 personatus annexum, intra annum, justo impedimento cessante, se
 promoveri non facit, ex tunc donec promotus fuerit, non obstante
 consuetudine, privatur voce in capitulo et dimidia parte distribu-
 tionum ordinariorum; quamvis intersit divinis, et officium recitet,
 ac quamvis reliqua pars, quæ superest, ad sustentationem non
 sufficiat; aliisque insuper pœnis puniri potest. Nullam tamen
 pœnam incurrit canonicus dispensatus a Papa super defectu ætatis,
 nisi, cum ad legitimam ætatem pervenerit, ordinem suscipere non
 curaverit (4).

VI. Ubi viget consuetudo, ut omnes canonici sint presbyteri,
 cum hæc consuetudo juxta Concilium Tridentinum observanda sit;
 inde sequitur, ibidem nullam amplius ordinum distributionem
 faciendam esse. Hæc consuetudo in territorio reipublicæ Galli-
 canæ ab initio hujus sæculi decimi noni communiter observata
 fuit. Hoc tamen non obstante, si alicubi novus episcopatus, et
 consequenter novum capitulum erigatur, Episcopus in eodem ordi-
 nes juxta Concilium Tridentinum designare et distribuere potest.
 Item si novi canonicatus præter existentes nunc instituantur, his
 procul dubio ordo diaconalis vel subdiaconalis assignari potest (5).

(1) Conc. Trident. sess. 22, cap. 4 de reformat.

(2) Barbosa de canonicis cap. XXXVII, n. 19-22.

(3) S. C. C. 14 Feb. 1609 *Euqubina* et 31 Maji 1783, § 11, *Sabinen.* apud
 Zamboni tom. 1, *Canonici* § XII, n. 3, et tom. 4, *Canonici* § XVI; Scarfantonus
 lib. 4, tit. 7, n. 40.

(4) Clem. lib. 1, tit. VI, c. II. *Ut ii*; Conc. Trid. sess. XXII, cap. IV de Re-
 form.; Pallottini *Canonici* § VI, n. 53 et seqq.; Lucius Ferraris *Canonicatus*
 art. III, n. 17-26.

(5) Vid. Bouix de capitulis, p. 1, sect. 2, c. 3, V.

§ 6. De scientia.

I. « Hortatur sancta Synodus (1), ut in provinciis, ubi id commode
 » fieri potest, dignitates omnes et saltem dimidia pars canonica-
 » tuum in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus confe-
 » rantur tantum magistris, vel doctoribus, aut etiam licentiatis in
 » theologia vel jure canonico. » Synodus tantum hortatur, et non
 mandat; adeoque collatio aliter facta, invalida dici nequit: hortatio
 tamen hoc saltem indicat, collationem personis idoneis et peritis
 concedendam esse.

Scientia requiritur competens, non quidem superior, sed saltem
 mediocris, non tantum quæ necessaria est ad proprium munus exe-
 quendum, et ad ordinem quem canonicatus requirit exercendum,
 sed etiam ad consilio ecclesiam et Episcopum juvandum (2). Cum
 enim capitulum cathedrale sit senatus ecclesiæ et consilium Epis-
 copi, casu occurrente, canonici consilium dare tenentur: adeoque
 etiam oportet, ut ita idonei et periti sint, ut rectum consilium dare
 valeant. Hæc quidem facultas et capacitas dandi consilium, pertinet
 ad proprium et principale munus canonici ecclesiæ cathedralis;
 certum autem est unumquemque in proprii status muneribus per
 se sufficienter instructum esse debere. Collatores igitur tales eligere
 tenentur, qui Episcopum auxilio et consilio adjuvare possint; et
 ipsi etiam provisi atque canonici omnino curare tenentur, ut debita
 polleant scientia, qua huic status sui muneri integre satisfacere
 valeant.

II. Statuta vel consuetudines, quæ requirunt qualitatem magis-
 terii sive doctoratus in assumendis canonicis et dignitatibus, dici
 possunt laudabiles et sacris canonibus valde conformes. Ubi simile
 adest statutum, omnino servandum est, cum habeat, juris assis-
 tentiam (3); licet Garcias (4) dicat, cum Concilium Tridentinum
 tantum hortetur, simile statutum non esse inducendum ex neces-
 sitate, nec hoc per concilium provinciale statui posse.

Quando non adest tale statutum, nec in foundatione cautum est,
 dignitates aut canonici arctari nequeunt, ad suscipiendam lauream
 doctoralem, quia verba Concilii Tridentini sunt hortatoria et non
 præceptiva (5).

(1) Tridentina sess. 24, cap. 12 de reformat.

(2) Barbosa de canonicis cap. 13, n. 4.

(3) Ita Scarfantonus lib. 4, tit. 9, animad. 1-4.

(4) De beneficiis p. 7, cap. 7, n. 45 et seq.

(5) Scarfantonus ibidem n. 4 et lib. 2, tit. XIII, animadv. 19.

III. Notanda et superaddenda videntur sequentia : 1. Magistri et doctores cæteris paribus in assequendis dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis, aliis præferri debent (1).

2. Ad obtinenda beneficia et dignitates ecclesiasticas, certum est doctoratum, non receptum in publica universitate, non suffragari (2).

3. Sicut Ecclesia in Concilio Tridentino sess. 24, cap. 12 de reform. hortatur, ut dignitates et plures canonicatus doctoribus aut licentiatis in theologia vel jure canonico conferantur; sic etiam ad alia officia et munera gradum doctoratus requirit et exigit. Unde deplorandum est, in aliquibus universitatibus hodievarias occurrere circumstantias, quæ impediunt, quominus gradus doctoratus et licentiatus pluribus conferantur sicut in Ecclesia Romana, quæ pluribus gradus istos confert, ut Ecclesiæ præscriptis prospiciat : si enim Ecclesia ad plura officia et munera illos præscribat, optandum foret, ut sufficientes reperirentur graduati, qui his omnibus satisfacere valerent.

§ 7. De cantu.

« Quum præcipuum canonicorum et beneficiatorum munus sit » divina officia in ecclesia solemniter canere, tenentur ii sub » lethali culpa addiscere cantum, quo possint munus suum recte » obire; vel canonicatus, et beneficia jam obtenta, dimittere. »

« Alias possunt ab Episcopo ad cantum Gregorianum addiscendum compelli subtractione non solum distributionum quotidianarum, sed etiam fructuum præbendalium. »

« Imo si ex peculiari ecclesiæ consuetudine, statuto, aut foundationis lege, cantus Gregoriani peritia requiratur ad canonicatum » vel ad alterius beneficii consecutionem, qui ea carent, nequeunt » illa obtinere : et capitulum legitime contradicit, si nolit eum » admittere, qui super eodem cantu, prævio examine, approbatus » non fuerit » (3).

(1) Lucius Ferraris *Magister* n. 21.

(2) S. C. C. 5 jun. 1723, § 4 Fan. apud Zamboni *doctoratus*, tom. 4.

(3) S. C. C. 19 Nov. 1735, *Muran. Mans.* § 5 et 6, apud Zamboni tom. 4. *Cantus*; Barbosa de canonicis cap. 13, n. 5 et 6; Scarfantonus lib. 4, tit. IX, n. 43-48; Moneta p. 2, q. XIX, n. 35.

§ 8. De vitæ et morum honestate.

Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. XII de reform. præscribit ut canonici « vestitu decenti tam in ecclesia quam extra » assidue utantur, ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, » tabernis lusibusque abstineant; atque ea morum integritate » polleant, ut merito ecclesiæ senatus dici possit. »

Oportet igitur, ut canonici ecclesiæ cathedralis vitæ et morum honestate commendentur, pietate præcellant, aliisque sint exemplo; ideoque requiritur, ut immunes sint ab infamia, irregularitate atque censuris (1).

Item pauperes non sunt providendi de præbendis ecclesiæ cathedralis, nisi sint litterati (2). Quid dicendum de statuto requirente, ut canonicatus solis nobilibus conferantur, vid. apud Louvrex dissert. 2, n. 32 et seq.; Scarfantonum lib. IV, tit. XV, animadv.

§ 9. De præcedentia inter canonicos.

I. Si præbendæ sint distinctæ, inter se præcedunt 1^o dignitates, 2^o presbyteri, 3^o diaconi, et 4^o subdiaconi.

Dignitates præcedunt presbyteros omnesque alios, etiamsi in sacris ordinibus constitutæ non fuerint (3). Dignitates autem inter se præcedunt, non juxta receptionem, neque juxta ordinem sacrum, sed ordine per statuta aut consuetudinem introducto et stabilito, videlicet primo loco prima dignitas, secundo loco secunda, et sic deinceps, quocumque nomine appellentur.

Habentes præbendas presbyterales, etiamsi sint juniores, et postea canonicatum obtinuerint, non obstante consuetudine, præcedunt alios habentes præbendas diaconales et subdiaconales, licet hi etiam in sacro presbyteratus ordine constituti fuerint, idque in choro, processionibus, capitulo ac ubique locorum, in omnibus functionibus capitularibus, quibus ut canonici interveniunt, sive

(1) Vid. Garcias de beneficiis p. 7, cap. 8 et 13; Louvrex dissert. 2, n. 42 et 55; Schmitz lib. 1. Decretal. tit. XIV, q. 2.

(2) Barbosa de canonicis cap. 13, n. 3.

(3) S. R. C. 19 Jul. 1738, *Bituntina* 21; 11 Decemb. 1773 *Mazarien*.